



## ROSA AUTUMNALIS

Autumnus caelum ac terras moerore colorat;  
Nunc stillis fletus rus animosque rigat.

Ardua contortis pallescit frondibus arbor,  
Quas gelida in madidum proicit aura solum.

E ramo exsurgit castoque rubore renidet  
Quam lenis species, o rosa sera, tua.

Nulla pruina umquam te, flos gratissime, laedat:  
Gaudia et huic circum fundere perge plagae.

Grata videris spes, miseris quae casibus obstat  
Et dubiis fido lumine monstrat iter.

Forma videris item rectae praefulgida menti,  
Quae, dum cuncta ruunt, non ruitura docet.

JOSEPH DEL TON

